

*G. G. Häggström 16  
JUL 1979*

Q. B. V.  
De  
**COGNITIONE,**  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

QUAM  
*Consentiente Amplissimo Ordine Philos.*  
*Acad. Aboënsis,*

**PRÆSIDE**

*Maxime Reverendo atque Amplissimo VIRO,*

**Dn. MAG. CAROLO  
MESTERTON,**

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ord.

*Pro honoribus philosophicis rite obtienendis*

*Publicè censura modeste submittit*

**PETRUS LINDFORS,**

*BORGIA - NYLANDUS.*

Ad diem 18. Maji, MDCCLI.

*Loco horisque solitis.*

*ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.*

**JACOB MERCKELL.**

I. N. 7.

§. I.

**O**mnis cognitio sit per similitudinem.

Cognitio nihil aliud est, quam rei cognitæ in potentia cognoscente repræsentatio, sive assimilatio potentiae cognoscentis & objecti cogniti; quæ tamen assimilatio non naturæ est, nam intellectus immaterialis, cognoscit res materiales, quo ad naturam sibi dissimiles, sed intentionis, secundum speciem. Nonnulli cognitionem inter positivam & negativam distingvunt, illam per solam assimilationem fieri volunt, hanc vero per dissimilationem. Alii similitudinem faciunt, unam essentialē formæ ad formam, quo pacto homo unus, cum alio, qui habet formam similem convenit, & talis similitudo univocationem facit: aliam imitationis vel repræsentationis, quæ non univocationem causat & ad cognitionem talis sufficit: quemadmodum inter imaginem pictam & hominem similitudo est imitationis aut repræsentationis, nec univoca tamen sunt: ita DEUS creaturam, intellectus humanus materialia cognoscit; licet isti cum hisce univoce convenient.

§. II.

**I**ntelligere est quoddam pati:

Hæcce positio non de intellectu quolibet est intelligenda, sed de eo, qui in potentia est ad intellecti-

A 2

nem,

nem, & speciem recipit, quæ objecti est similitudo: hinc DEi intelligere non est pati; cum intellectus Di-  
vinus non sit in potentia ad intellectionem, & non per  
speciem intelligat. Licet vero intellectus non solum  
patiatur, sed etiam agat, ipsum tamen intelligere,  
magis causitatem passivam quam activam sonat.  
Nam intellectus denominatur intelligens, non quate-  
nus elicit, sed quatenus intellectionem recipit, sicuti  
paries non albore dicuntur, nec aqua calere, qua effi-  
ciunt, sed qua recipiunt, seu quatenus alborem & ca-  
lorem habent: eamque ob causam  $\tau\delta$  intelligere ma-  
gis per pati, quam per agere, describi posse au-  
mamus.

### **C**ontingit multa scire, non tamen cogitare.

Potest quis omnes *Euclidis* conclusiones scire, nec  
tamen omnes cogitare simul. Chiliagonum non ima-  
ginari nobis possumus & ut præsentia cogitare ista mil-  
le latera, sicut triangulum & scire & intelligere pos-  
sumus, quod tribus constet lineis, & imaginari omnes  
tres lineas, utque præsentes cogitare.

### §. IV.

**Q**ui rem aliter, quam est intelligit, eam non  
intelligit: & qui rem intelligit aliter, quam  
est falso intelligit.

Qui rem aliter intelligit ei etiam res aliter repræ-  
sentatur; dum aliter repræsentatur, non ipsa intelligi-  
tur, sed aliud aliud: nam id intelligitur, quod in-  
tellectui repræsentatur: porro qui rem intelligit aliter,  
quam est, falso intelligit, quando rei intellectæ,  
quod

quod in ea non reperitur tribuit. Hoc est, quod vul-  
go dici solet, primæ mentis operationi nunquam sub-  
esse falsum, sed quidem secundæ.

### §. V.

**C**ognitio intellectiva certior, quam sensitiva  
est, tam respectu potentiarum, quam quidem  
ex parte objectorum.

Objectum sensus multipliciter enim est variabile;  
objectum vero intellectus magis invariabile est, quia  
universalia intelligit & spiritualia, sensus singularia &  
materialia tantum cognoscit. Si ipsæ etiam potentiarum,  
qua tales, spectentur, non in ordine ad objecta, ad-  
huc intellectiva est simpliciter certior sensitiva: quia  
hæc in cognoscendo multis de causis impediri potest a  
certitudine, ne eam obtineat, nempe, vel a mediis di-  
stantia, vel ab ejus propinquitate nimia, vel ab orga-  
ni indilpositione. Intellectus vero, licet decipi pos-  
sit, non tamen tot de causis, nec tot deceptionibus  
subjacet.

### §. VI.

**C**ertius cognoscitur, de quo non potest du-  
bitari, quam illud de quo dubitari potest.

Certitudo & dubietas privative opponuntur & se  
mutuo excludunt: sicuti ergo, quando omnis dubie-  
tas excluditur, cognitio est maxime certa, ita quo  
magis excluditur, eo magis est certa, quo minus,  
minus. Certior est cognitio, quæ minus formidinis  
habet: quia formido repugnat cum certitudine, at  
dubitatio conjuncta est, cum formidine partis opposi-  
tæ;

5. 10. 6.  
tae : qui enim dubium assensum praebet conclusioni;  
formidat ne pars opposita sit vera.

Dubitare est ignorantis.

Ideo dubitamus, quia nescimus certitudinem rei, & ignoramus, an ei falsitas subsistat: hinc quia in DEum non cadit ignorantia, nec dubitatio: & ubi non est ignorantia, nec dubitatio esse potest: nihil minus dubitatio participat ignorantiam, non absolutam & secundum omnem gradum, sed secundum minimum assensus auctoritatis in assensu gradum: nam dubitatio supponit aliquam cognitionem de re illa, de qua dubitatur; non enim dubitamus de eo, quod plane nescimus.

§. VIII.

A id, quod est supra naturam, intellectus manus non medium aliquod, ad illud evidenter cognoscendum habet.

Illa evidenter cognoscuntur, quorum videtur causa: at, quae supernaturalia sunt, causam in natura non habent, qua cognosci possent: sic enim non essent supernaturalia. Unde nulla mysteria fidei evidenter cognoscuntur, at tamen certo, firmiter, & infallibiliter, quia omnis erroris & dubitationis expers est revelatio divina, per quam cognoscuntur, cui fallere subesse nequit.

§. IX.

Res tunc perfecte cognoscitur, cum sicuti est attingitur.

Perfecta cognitio consistit in exacta commensurazione

ne ipsius cum objecto; idcirco cognitio in se habere debet representative etiam modum esendi ipsius objecti: nam rem cognosci sicuti est, nihil aliud est, quam representari, sicuti est; tunc autem sicuti est representatur, quando intellectus representative continet esse objecti; unde tunc cognoscitur perfecte, quando sicuti est cognoscitur: quod ut plenus intelligatur, non requiritur, ut intellectus auctoritatem eundem habeat modum existendi, quem habet res; nam qui cognoscit lapidem, non habet modum existendi, quem lapis: uno verbo: oportet ut res ita se habeat, quoad esse reale, sicuti se habet cognitio in esse representativo.

§. X.

Nihil cognoscitur nisi secundum modum quo est in cognoscente.

Ea, quae cognoscuntur, non secundum sui naturam cognoscuntur, sed secundum cognoscientium facultatem: cognitio itaque non dicitur finita aut infinita a re cognita finita vel infinita: sic licet Deus ab intellectu creato cognoscatur, non ideo tamen objecto infinito cognitio respondens infinita est, quia cognoscientis facultas & vis finita est: & quocunque recipitur, ad modum recipientis recipitur: cognitio est receptio rei cognoscendae secundum esse intentionale, ergo.

§. XI.

Prius magis universalia cognoscuntur, quam minus universalia, prius communia, quam particularia.

Utrumque verum est, sed diverso genere cognitionis

mis & vario respectu. Si singulare comparetur ad universale, prius ipso cognoscitur, quia intellectus a se evit fere cognitionem sensuum sequi, qui versantur circa singulare; ideoque & intellectus prius ordine intelligit singulare quam universale: quod confirmatur, quia universale fit ex prælupposita cognitione singularium, a quibus universalia abstrahuntur; ergo prius debent singularia, quam universalia cognosci.

Siorationes universales individuatæ inter se in ordine ad cognitionem distinctam comparentur, prius percipiuntur minus universales: ratio est, quia primo ab intellectu percipitur, quod primo ex vi cognitionis sensitivæ repræsentatur: sed primo insimæ speciei gradus repræsentatur, ergo & prius cognoscitur: hinc cum videmus Petrum, prius cognoscimus hominem, quam substantiam esse cognoscimus.

Si rationes individuatæ in ordine ad cognitionem confusam comparentur, prius magis universales cognoscuntur, quia quo magis est cognitio confusa, eo minus distincte repræsentat objectum, ergo repræsentabit secundum magis rationes universales, quia cognitio distincta tendit prius rationes minus universales: ergo quoad cognitionem confusam prius magis universales, quam minus, & communia, quam particularia cognoscuntur.

### TANTUM.